



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XI. Applicationis Missarum. Hypothesis de Obligatione Primissarii ad applicandas Missas pro Fundatore, revocatur ad Thesin, & examinatur, an qui ex Fundatione obligantur ad R. P. Schmalzgrueber ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](#)

Q U Ä R I T U R X.

Cùm verò hoc singuli audire non possint, minùs singuli desuper edoceri, an in patenti scriptura hoc ad Ecclesie valvas, vel gazophylactum affigi debeat?

26.

R Esp. Non esse istud determinatè necesse sarium; quia plura sunt alia media. Satisfacturos tamen suscipientes Stipendia magis conscientiæ sua, si in majoribus solennitatibus populus de modo, quo petitio- ni ipsorum offerentium Stipendia satisficeri solet, publicè moneatur. Imò ut ad notitiam omnium pervenire hoc possit, cu- randum omnino, ut ab Ordinario fiat brevis Declaratio, quomodo, & qua intentio- ne legantur Sacra, hæcque in Programmate descripta publicè affigatur ad valvas Ecclesie. Quod si fideles sic edoceti offerant tamē Stipendia, acceptari poterunt sine me- tu secuturarum tot perplexitatum,

ut in simili rectè docet P. Gobat. Tom.

1. experiment. trad. 3. num. 598. & 599.

imò hac subinde Declaratione facta, & pro- mulgata, posset is, qui pecunias oblatas an- notat, uno verbo à singulis offerentibus quæ- rere, num consentiant in programma? qui- bus assentientibus, Stipendia oblate accipe- ret, noalentibus non acciperet.

Post Responsionem ad Quæsita nobis pro- posita, tria alia in commune consulentibus o- ccurserunt.

DUBIUM 1. An non Parochus absque li- centia Ordinarii suscipiendo onus Missarum perpetuum incurrerit Interdictum ab Eccle- sia? Resp. Excusari posse per solam bonam

fidem: alias certa est affirmativa post Decretum sàpè citatum, quod suscipientibus onera Missarum perpetua absque licentia Su- perioris, Secularibus quidem in poenam interdicit ab ingressu Ecclesiæ; Regularibus verò infligit poenam privationis omnium Of- ficiarum, quæ tunc obtinent, & inhabilitatis ad alia de cæteris obtainenda, vocisque active & passivæ, & hoc absque alia De- claratione ipso facto.

DUBIUM 2. Utrum statim legi debeant Sacra constituta pro specialiter necessitatem habentibus? Resp. Affirmative, nisi hoc cedat in præjudicium ceterorum offerentium; nam fieri posset, ut pro specialiter necessi- titatem habentibus tot offerentur Stipendia, ut cetera Sacra petita sub intentione communi differri deberent ultra tempus, quod ex intentione Stipendia offerentium presumi potest: quo casu non essent acceptandæ novæ obligationes, dum debito tempore sa- tisfactum fuerit obligationibus antiquioribus.

DUBIUM 3. Quo remedio occurri in posterum possit, ut pro specialiter necessitatem habentibus Sacra maturari possint, & tamen interea eorum, qui cum intentione communi obtulerunt Stipendia, petitio non diu differri? Resp. Consultissimum fore, si qualibet hebdomada legeretur certus Sa- crorum numerus, e. g. septem vel plura, pro ijs, qui cum intentione communi obtule- runt Stipendia; speciales verò intentiones pro necessitatem habentibus non accepta- rentur plures, quam salvo illo priore nu- mero debito tempore exsolvi possent.

Hæc nostra supra Casum nobis proposi- tum Sententia fuit, qua salvam omnino vo- lulum opinionem sentientium meliora.

28.

29.

C O N S I L I U M XI.

D e obligatione Primissarii ad applican- das Missas pro Fundatore.

S U M M A R I U M.

Proponitur Facti Species.

1. Triplic est fructus Missa, universalis, spe- cialis, & specialissimus.
2. An Beneficiarius iis diebus, quibus Missam dicere vi Officii, Beneficii, vel Fundationis debet, teneatur illam applicare ad intentio- nem Fundatoris?
3. Adducuntur Fundamenta affirmantium.
4. Deciditur pro parte negativa.
5. Refelluntur opposita.
6. An Beneficiati pro Sacrificio, quod vi Fun- dationis non tenentur applicare Fundatori, si illud alii applicant, ab hoc Stipendum pos- sint accipere? Fundamenta sententia negan- tis.
7. Respondetur affirmative.
8. Solvuntur contraria.
9. Teneret Beneficiarius aliquoties per annum pro Fundatore ex gratitudine sacrificare, & sapient in Sacris suis illius, tanquam Bene- factoris, specialiter meminisse.
10. Seqq. Declarationes & Restrictiones anti- quæ obligationis ita debent intelligi, ut non imponatur novum onus.

FACTI

FACTI SPECIES.

Erecta est anno Christi 1392. in loco celebri Suevia, Primissaria, seu Beneficium pro prima Missa quotidie ibi dicenda ad Aram S. Georgii Martyris. Feicit Foundationem istam Fundator (ut ipse met in Literis Foundationis testatur) in honorem DEI, B. V. & Sanctorum omnium, precipue S. Georgii; in solatium sua, Parentum, Posterorum suorum, & omnium fidelium animalium. Ita ad verbum Fundator in Literis Foundationis supra dictis: in quibus etiam eidem Primissario imposuit. 1. Ut Parochi loci subisset, eum juvaret, & veneraretur eo, quo Primissarium decet, & oportet modo. 2. Ut in loco Beneficii sui personaliter resideat, & quotidie Missam dicat ad Aram S. Georgii M. 3. Ut hanc Missam dicat ita tempestive, ut etiam operarii, & alii homines, qui labori diurno vacant, illi interesse, & ea absoluta in tempore adhuc laboribus suis adeste queant. Factum est autem, ut per injurias belli Suecici reditus Beneficii hujus plurimum intercederint, ita ut nisi defectus per Missas votivas supplicetur, soli vix in sustentationem Beneficii sufficiant. Hinc Ordinarius interrogatus, an onus quotidiana Missae nihilominus sustinendum sit? reposuit, & praecepit, ut deinceps Beneficiatus praeter Missas diebus Dominicis, & Festis legendas, solum diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris Sacrum ex obligatione ficeret, in aestate quidem hora 5. in hyeme vero hora 6. quibus proin diebus idem Ordinarius declaravit, a Beneficiato Sacra votiva acceptari non posse. Dubitatum deinde est, an per Prohibitionem istam Votivarum simul etiam præcipereetur applicatio Missarum, his diebus dicendarum, pro Fundatore: cuius Dubii Resolutio petita est ex Officio Vicariatus, & inde missa est 22. Decembbris 1704. Declaratio, videlicet ex supra memorato Decreto omnino consequi, quod Missæ illæ omnes, quæ signatis supra diebus Primissario legenda sunt, ad intentionem Fundatoris applicari debeant.

QUÆRITUR I.

An vi Foundationis Primissarius quotidianam, quæ ibi præcipitur, Missam ad Altare S. Georgii M. dicendam, reneatur offerre pro Fundatore, applicando videlicet ipsi fructum speciale?

I. Duxi specialem; nam triplex communiter dividitur fructus Missæ: unus universalis, qui ex universal intentione Ecclesiae applicatur toti populo Christiano. Alter specialis, qui applicatur ex intentione pecuniali Sacerdotis, cui ipse voluerit. Tertius specialissimus, qui est proprius ipsius Sa-

cerdotis. Quæstio data solum procedere potest de secundo; nam tertium, ut communis Sententia habet, à se abdicare Sacerdos non potest; primum autem ex intentione sua Ecclesia applicat omnibus Christi Fidelibus. Ut clarius procedamus, à particulari ad universalē revocanda est Quæstio.

DUBITATUR proinde 1. An Canonici, Beneficiati, Parochi &c. iis diebus, quibus Missam dicere vi Officii, Foundationis, Beneficii, vel Præbenda debent, teneantur illam applicare ad intentionem Fundatoris, & pro Fundatore? Dubium hic esse nullum potest, cum id Fundator in Literis Foundationis expresse petuit; tum enim voluntas illius sacrosancta esse, & impleri, quoad protest, sanctissime debet. Dubium igitur è tandem revolvitur, cum in Foundationis Literis nulla sit de applicatione mentio: quo casu acris est inter Doctores utrinque Controversia. Affirmativam propagant

Barbos. de Offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 24. n. 28. & de Offic. Paroch. p. 1. c. 11. num. 6. Bonac. q. ult. p. 7. §. 2. n. 13. Pax Jordan. l. 4. tit. 1. n. 521. & 548. Gobat. tom. 1. tract. 3. de Sacrifice. n. 494. cum aliis.

Fundatur 1. Quia Reditus à Fundatore ea intentione dantur, ut secundum ejus intentionem Sacrificium fiat: non igitur locus est fructum Sacrificii applicandi aliis. 2. Hanc suam intentionem plerumque Fundatores satis explicant, dum Beneficia fundando communiter dicunt, se id facere in solatium animæ suæ, Prædecessorum, & Posterorum suorum &c. 3. Adebat Præsumptio: nam quisque præsumitur in dubio, meliore, quo potuit, modo sibi prospicere voluisse: igitur cum poterit Fundator petere applicationem Sacri, merito præsumitur sic voluisse: certè si fuisset interrogatus, utique respondisset, id se velle pro remedio animæ suæ. 4. Quia id communiter fieri consuevit: atqui ex communiter accidentibus fortissimum deducitur argumentum. 5. Si neque ratio, neque consuetudo obligationem istam probaret, adebat authoritas Theologorum, qui,

ut Gobat l. cit. n. 479. testatur, casu quo de intentione præfigenda Missis Capellani non constat, volunt esse applicandas animæ Fundatoris.

His tamen non obstantibus standum pro negativa sententia,

quam etiam defendant Lug. de Euchar. D. 21. num. 23. Tambur. de Sacrifice. Miss. lib. 3. c. 1. §. 3. num. 20. & seqq. Pellizar. tract. 5. c. 9. & omnes illi, quos infra allegabimus Num. 7. & habet sic praxis passim recepta.

Ratio est 1. Quia,

ut recte Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8.

l. 2. c. 17. n. 7.

in oneribus imponendis maximè servanda est regula: si voluisset, expressisset. Igitur quando

2.

Dubium 1:

3.

Rationes dubitandi.

4.

Revolvitur Dubium!

CONSLIUM XI. APPLICATIONIS MISSARUM. 65

quando Fundator non expressit obligacionem applicandi Missas pro se, eam recte presumitur non voluisse. Illationi favet

L. quidquid adstringenda. ff. de V. O. ibi: quidquid adstringenda obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur, omnissum intelligendum est.

2. Ut ipse Barbosa, alias, ut supra dictum est, in conclusione ista contrarius,

de Offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 24. num. 23.

docet, obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum sunt diverse. Igitur aliquis obligari potest ad celebrandum, quamvis non obligetur ad applicandum. Antipatet: potest enim Beneficiatus aliquod institui, & Beneficiatus vi hujus obligari ad dicendam certis diebus, & horis Missam prece ob comoditatem populi, ob venerationem alicujus Sancti &c. 3. In obscuris respicimus, quod plerumque fieri solet.

C. inspicimus. de Regul. Jur. in 6.

Et omnes sumunt argumentum a confutis.

Menoch. de Presumpt. l. i. q. 18. n. 5.

Atque plura Beneficia, praesertim Primitariae; ita sunt instituta, ut ea habentes non teneantur applicare fructum speciale Fundatoribus, & si isti Applicationem vellint, eam in Literis Foundationis expresse petunt. Igitur nisi Fundator expressis verbis hoc petat, non censetur Applicationem specialiter desiderare. 4. Si Sacrificii fructus specialis semper applicandus esset Fundatori, vel iis, in quorum commodum Missa dici debet, tunc vel id intelligendum esset etiam de Parochis, vel solum de Beneficiatis simplicibus: non de Parochis; nam hi, licet ex communi sententia non tantum diebus Dominicas, & Festis, sed quibusdam etiam aliis, e.g. bis vel ter intra hebdomadam obligantur Sacrum facere populo, tamen juxta pariter communem non tenentur iisdem oviibus suis Sacri fructum applicare semper, sed ad summum aliquoties. Non de reliquis Beneficiatis simplicibus; quia aliqui, ut Canonici, Dignitates, Praebenda &c. Obligationem hanc quidem habent, sed in eum solummodo finem, ut certis diebus, horis, & locis occasio detur populo audiendi Sacrum: que obligatio cum sit pretio estimabilis, justissime pro ea accipitur Stipendium, licet onus applicandi fructum Missae sibi coniunctum non habeat.

Neque obstant Rationes oppositae. Ad 1. Respondeatur, sufficenter secundum intentionem Fundatoris Sacrificium fieri, si fiat id eo modo, quo modo faciendum in Literis Foundationis præcipitur: quod autem quilibet Fundator velit sibi applicari semper fructum speciale Sacrorum, vi Beneficii a se Fundati legendorum, Quæstio facta est, & onus novum secum afferens Beneficiato, quæ propterea aut ex verbis Foundationis erui, aut ex circumstantiis colligi debet: ex neutrō autem hoc obligatio applicandi Missam

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

colligitur. Ad 2. Argumentum, illud nimium probat; nam hujusmodi termini adhiberi solent etiam in Foundationibus Monasteriorum, Hospitalium, Stipendiiorum, & in quibusvis Donationibus ad Causas pias, nec tamen idcirco Fundator credi potest, quod pro se offerri velit omnia Sacrificia, & orationes Religiorum, Stipendiiorum &c. Certum igitur videtur, eos terminos adhiberi posse etiam in Foundatione Beneficii, quamvis non petatur applicatio specialis Sacrificiorum vi Beneficii dicendorum. Ad 3. Contra presumptionem ibi positam pugnat presumptio Num. 4. in Argum. I. expresa, quæ, cum versetur in Materia odiosa, & onerante Beneficiarium, priorem enervat,

Cum conformis sit c. odia. de R. J. in 6.

Ad 4. Qui Applicationem Sacrificiorum vi Beneficii a se fundati dicendorum volunt, aut verbis expressis id solent petere, aut per circumstantias id satis significant. Ad 5. Hoc solum verum est, nisi vel ex verbis, vel ex circumstantiis Foundationis aliud quid colligatur. Ex eo autem, quod Fundator potuisset uti verbis expressioribus, & usus sit generalius tantum terminis, satis colligitur, ad Applicationem faciendam obligare non voluisse. Ceterum Authoritatē TT. contrarium sentientium opponimus Authoritatem TT. relatorum Num. 4, & referendorum Num. 7. cum efficacibus rationibus Num. 4. cit. allatis. Maneat igitur fixum, quod etiam Beneficiati, qui vi Foundationis ad certas Missas dicendas tenentur, non tenentur has applicare pro Fundatore, nisi aliunde obligatio hæc colligatur; & consequenter poterunt illas, cui libuerit, applicare.

DUBITATUR 2. An Beneficiati pro Sacrificio, quod vi Foundationis non tenentur applicare Fundatori, si illud alii applicant, ab hoc Stipendium possint accipere? Negant, eu casu Stipendium à Parocho, vel Beneficiato posse accipi

6.
Dubium 2.

Pax Jord. l. 4. tit. I. n. 520. Barbos.
de Offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 24. num. 28. & de Offic. Paroch. p. I. c. 11. num. 11. Gobat tom. I. tr. 3. n. 479. & 497. cum aliis,

Et pugnat pro hac sententia Declaratio Congreg. Cardin. super Decretum ab eadem 21. Junij 1625. iussu Urbani VIII. editum, ubi haec habentur verba: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellania, Legati, seu Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis suscepint, non posse eadem Missa utriusque obligacioni satisfacere.* Videtur igitur supponere S. Congregatio, tum faciendum Sacrum ad mentem, & intentionem Fundatoris, neque Stipendium accipi posse. Longe clariss id adhuc elucet ex responso, quod eadem Congregatio die 9. Januarij, & 6. Febr. 1627. dedit Episcopo Traguriensi: *quererat is, an Sacerdotes, qui nulla alia obligacione*

5.
Responde-
tur Ratio-
nibus op-
positis

66 CONSLIUM XI. APPLICATIONIS MISSARUM.

rione in Confraternitatibus, vel in Monasteriis Monialium celebrant, quam pro ornato Ecclesie, vel ut Confrates, vel Moniales satisfaciant praecepto audiendi Missam, possint ultra Stipendium, quod recipiunt a Confratribus, vel Monialibus, aliud Stipendium recipere? & responsum est negative. Ex quo inferunt sententia hujus Patroni, eti Primitaria, vel aliud Beneficium institutum praeceps sit ad commoditatem populi, liberâ relicta applicatione Missæ, cui voluerit Beneficiatus illam applicare, non tamen posse Beneficiatum aliud Stipendium accipere ab eo, cui sic applicaverit. Confirmatur ex alio Responso, quod eadem S. Congregatio dedit Parochi terræ Urceani Dicecensis Fanensis 1. Septembr. 1629. Interrogabat is, an Parochi, quibus diebus ex proprio Officio, & obligatione tenentur Missam dicere, possint pro eadem Missa manuale eleemosynas recipere? & respondit S. Congregatio, non posse. Probari sententia hæc etiam potest ratione: quia, ut apud omnes certum est, non potest Sacerdos duplex Stipendium adæquatum accipere, pro eadem Missa: acciperet autem, si præter redditus possit etiam manualem eleemosynam accipere pro Missa, ad quam dicendum alias vi Officii, Beneficii, aut Præbenda obligatur; nam redditus, quos Beneficiatus ejusmodi habet, verè sunt Stipendium pro Officio. Officium autem illius vel adæquatum vel partiale est dicere Sacrum certis diebus, & horis. Igitur dum redditus Beneficii sui capit, verè jam accipit Stipendium pro his Missis. Dum igitur præter redditus accipit pro iisdem Missis manuales eleemosynas, accipit duplex Stipendium. Accedit, quia Stipendium Missæ datur in sustentationem Sacerdotis. Igitur pro ea Missa, pro qua sustentationem suam Sacerdos aliunde accipit, Stipendium amplius acceptare non potest; cum titulus sustentationis exigendæ cesse. Accipit autem sustentationem suam pro Missis ex Beneficii obligatione debitum, ex redditibus Beneficii: Igitur eti liberè eam applicare possit, cui voluerit, non tamen pro ea poterit Stipendium acceptare.

Satis gravia sunt ad speciem hæc Argumenta, sed non impediunt, quo minus adhærendum sit opposita Sententia, quam etiam re ipsa docent
Suar. de Euch. D. 86. sect. 1. & 3. concl.
2. Alphons. de Leone de Jubil. p. 3.
q. 20. n. 27. Fraxinell. de oblig. Sa-
cerd. s. 4. concl. 4. §. 8. Homobon. de
Exam. Eccles. p. 1. tr. 4. c. 13. q. 121.
Joan. de Lug. de S. Euchar. D. 21. s.
1. n. 19. & seq. Qui ait esse commu-
nem. Barthol. à S. Fausto. tr. de Jubil.
l. 1. q. 81. Ludov. à Cruce in expos.
Bull. cruciat. D. 3. dub. 19. n. 22. Pel-
lizar. tr. 6. Man. Regul. c. 3. n. 20.
Luis. Turrian. p. 2. D. 31. dub. 16. ubi
contrarium dicit procedere ex ignorantia,
& esse contra præximam receptam.

Pro eadem sententia apud Suar. sect. 3.
cit. statu S. Thom. quodl. 6. a. 10. Sot.
l. 9. de Just. q. 6. a. 1. Navar. Summ.
c. 23. n. 102. Gloss. & DD. in C. Cle-
ricos, l. q. 2.

Cum his omnino dicendum, Canonicos, Be-
neficiarios, Parochos, quibus ex vi sui Be-
neficii, vel Præbenda non est specialis obliga-
tio applicandi Sacrificium pro aliquo, pos-
se accipere Stipendium pro Missa. Prob. 1.
pro novo onere, novaque obligatione,
si nondum alicui debentur ex justitia, ratio
ipsa naturalis permittit accipi pretium ali-
quod, vel latrem Stipendium: Sed in positu
Casu novum onus, novaque obligatio, appli-
candi Missam suscipitur, quæ ut in Conclu-
sione supponitur, nulli adhuc debetur: er-
go &c. 2. Quod est argumentum Suarii,
Beneficium datur propter Officium. Solum
ergo obligat ad illud Officium, propter quod
datur. Sunt autem duo diversa legere Mis-
sam certo tempore, & illam applicare. Igi-
tur licet Stipendium quis habeat pro Missa
certo tempore, loco, hora dicenda, adhuc
tamen aliquid accipere pro applicatione po-
test. 3. Si aliquis expresse diceret: Ego
volo, ut possis recipere Stipendium ab alio, &
offerre pro illo, perinde ac si à me nihil accep-
ses: nemo negaret, talem accipere Stipendi-
um absque scrupulo ab eo posse, cui appli-
cat Missam. Sed hæc omnia,

ut Lugo testatur l. cit. n. 23.
implicite dicuntur, quoties Capellano datur
aliquid solum, ut celebret in tali loco, ho-
ra &c. relicta illi Facultate applicandi Mis-
sam alteri: ergo ab hoc sine scrupulo reci-
pere Stipendium potest.

Neque obstant fundamenta opposita. Ad
Declarationem S. Congregationis

Lugo l. cit. n. 22. & ex hoc Pellizar. tur Rationi-
bus oppo-
n. 27.

dicunt, eam non loqui absolute, sed solum
in casu, quo Sacerdos alias tenetur non tan-
tum ad Sacrum dicendum, sed etiam ad illud
applicandum alteri: quo casu etiam secun-
dum dicta certum est, non postea Stipendi-
um accipi ad illud applicandum alteri; sed
istud, non evenit in Casu nostro, ut in Con-
clusione ponimus. Et quidem quod Decla-
ratio hæc ita intelligi debeat, ut diximus, in-
geniosè colligit cit. Lugo n. 23. ex eo, quod
dubium, occasione cuius S. Congregatio De-
cretum hoc fecit, ortum sit ex §. 3. Decreti,
anno præcedente ab eadem S. Congregatione
editi de celebr. Missar. in quo præcipi-
tur, ut tot Missa celebrarentur, quot ad rationem
attributæ eleemosyna præscripta fuerint (intel-
lige à dante, ut postea declaravit S. Congre-
gatio) alias ad quos pertineret, sua obligationi non
satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad re-
stitutionem teneantur. Quæ verba suppon-
nunt Stipendium Missarum retineri contra-
mentem, & voluntatem eorum, qui illud de-
derunt; alias enim restituere illud non tene-
ntur. Unde sic argumentatur Lugo cum
Pelli-

7.
Resolvitur
Dubium.

CONCILIO XI. APPLICATIONIS MISSARUM. 67

Pellizaro: solum ille contra Decretum S. Congregationis agit, qui Stipendium contra mentem illorum retinet, qui illud dederunt: atqui is, qui Missam, quam titulo Beneficii quidem, vel Præbenda legere debet, sed libera illi voluntate relæcta ad applicandum eam, cui voluerit, applicat alteri, & pro applicatione Stipendium recipit, neutrum Stipendium adversus voluntatem dantum retinet; nam utriusque voluntatem implet: igitur contra Decretum non agit; & consequenter dicendum, quod S. Congregatio Beneficiario, Capellano &c. non prohibeat absolute, ne ultra Stipendium, quod titulo Beneficii &c. recipit pro celebratione Missarum, aliud novum Stipendium accipiat pro earum applicatione; sed solum prohibet, ne Beneficiarius, vel Capellanus, qui ex Fundatione Beneficii, vel Capellæ applicare tenetur Sacrificium, pro eodem aliud Stipendium accipiat; cum sic alterutrum ex his Stipendiis retineat contra voluntatem dantis. Eadem responsio est ad duos sequentes textus. Ad Argumentum ex ratione, ut dictum est Num. 7.

Arg. 2. aliud est obligari ad Missam dicendam certo tempore, loco, horâ pro commoditate alterius, & aliud obligari ad applicandum fructum specialem Sacrificii; nam hæc ab invicem separabilia sunt. Igitur casu, quo unum officium præstatur uni, alterum alii; cum utrumque sit Stipendio dignum & obligatio valde æstimabilis, pro utroque Eleemosyna manualis capi à Sacerdote potest: & ita expressè docet

Pellizar. tr. 6. Manual. Regul. c. 3. n.

20.

Ad ultimum respondet

Lugo cit. D. 21. n. 24.

Sacerdotem primum Stipendium non accipisse in sustentationem, sed ut pretium laboris, & obligationis antecedentis, qua obligatur, ut sit tali tempore, & loco promptus ad celebrandum; quæ obligatio est onus pretio dignum: postea verò accipit pro oblatione Sacrificii non pretium, sed Stipendium ad sustentationem modo explicato. Neque obstat, quod aliunde sustentationem jam habeat; sicut enim Clericus, et si dives alias sit, & Stipendio ad sustentationem non egeat, non tamen idcirco prohibetur petere, & recipere Stipendium pro celebratione Missarum; ita & is, qui ex redditibus Beneficii sustentationem habet, non tamen vetatur pro applicatione Missarum sibi libera Stipendium petere, & acceptare. Ex his patet, quid respondendum ad Questionem primam propositam.

DICENDUM nempe, Primissarium vi Fundationis non teneri ad applicandum fructum specialem Missarum suarum Fundatori: con sequenter liberum eidem erit Missas illas applicare, cui voluerit, & ab hoc etiam Stipendia recipere. Dixi vi Fundationis: nam gratitudo omnino exigit, ut aliquoties per annum pro Fundatore sacrificet, & sèpius etiam in R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

Sacris suis specialiter illius, tanquam Benefactoris sui, meminerit: imò ex communi TT. Beneficiati ad hoc tenentur obligatione stricta. Pars 2. Conclusionis, qua permititur eidem acceptare Stipendium pro Missis, quas alias titulo Beneficii sui debet dicere, sequitur, ut à Num. 6. diximus, satis clare, modò probetur, Primissarium non obligari ad applicandum fructum Missarum suarum specialem pro Fundatore. Hoc autem ostendit videtur satis efficaciter hoc Argumento. Nam si Primissarius obligaretur ad applicandum fructum specialem Missarum suarum Fundatori, ad hoc obligaretur vel ex obligatione omnium Beneficiorum Fundationi insita, vel ex obligatione speciali, quæ erueretur ex Literis Fundationis specialiter factæ pro prima Missa, seu Primissaria Questionis? primam obligationem non dari satis ostensum est à Num. 2. Ubi diximus, nisi aliud ex Literis Fundationis constet, Beneficiatos etiam eos, qui onus certa Sacra dicendi habent, non hoc ipso teneri ad applicandum Sacrorum illorum fructum specialem Fundatoribus. Difficultas igitur solum restat, ut ostendatur, quod ad ejusmodi applicationem etiam non teneatur ex obligatione speciali, quæ erueretur ex Literis Fundationis specialiter factæ pro Primissaria Questionis. Sed neque hanc dari, satis evinci videtur his rationibus. Nam 1. Vi Fundationis obligatio non est imposta Primissario, qua nupiam in Literis Fundationis, ab Ordinario confirmata, est expressa: atqui obligatio hæc Missarum fructum specialem quotidie applicandi pro anima Fundatoris nupiam exprimitur in Literis Fundationis. Nam in his solum dicitur, ad DEI, DEI para, & omnium SS. Cultum, ad salutem animæ propriae, suorum, & omnium Fidelium vivorum, & mortuorum &c. Altare novum S. Georgii in Ecclesia E. cum Primissaria perpetua, quotidiana &c. fundatum esse. Quæ verba generalia sunt, & adhibentur in quibusvis Fundationibus Monasteriorum, Hospitalium, Stipendiiorum, & aliis Donationibus, vel Dispositionibus ad Causas pias: ubi tamen clarum est juxta omnes, quod per hæc verba Religiosi ad Sacrificia sua, & Hospitalarii, vel Stipendiarii ad preces omnes non obligentur, solum & unicè applicandas pro Fundatore. 2. A consuetis, ut Num. 4. dictum est, argumentum sumitur ad alia controversia: atqui vicinorum locorum Primissaria, prout ab inductione ostendi possit, licet simillima verba in Fundatione expressa habeant, & minora onera, redditus autem majores, vel saltem pares, non tamen agnoscunt obligationem aliam, quam celebrandi Sacrum diebus constitutis, retenta sibi libertate applicandi Missam, cui libuerit: ergo &c. 3. Si verba Fundationis supra dicta inducerent obligationem applicandi Sacra pro Fundatore, applicatio hæc facienda esset non tantum animæ Fundatoris, sed omnibus ex ejus Familia, imò

I 2

cun-

cunctis fidelibus vivis, atque defunctis; nam istorum omnium meminit Fundator *cit. loco*. Sequela videtur incredibilis; sic enim Fundatori exigua pars specialis fructus obveniet, maxima vero pars in alios redundaret; nec Primitarius Fundationi satisfaceret, si fructum speciale applicaret soli Fundatori. 4. Ex verbis supra dictis aliud nil colligitur, quam quod Fundator hac sua Fundatione voluerit promovere Gloriam DEI, & saluti sue prospicere: atqui hoc ipso, quod Fundationem perpetuam, atque aedem piam fecerit; quod opus est valde gloriosum DEO, & meritorium Fundatori, jam promovit DEI Gloriam, & saluti animae sue sufficienter consuluit. 5. Ex duobus finibus a se invicem separabilibus, quorum unus clarè exprimitur in Literis Fundationis, alterne obscurè quidem innuitur, potius a Fundatore videtur intentus primus, nullo autem modo secundus: atqui duo sunt omnino fines, & obligationes diversæ atque a se invicem separabiles, obligari ad Missam quotidianam dicendam, ut Parochiani commoditatem habeant hanc audiendi; & obligari ad eam offerendam pro Fundatore; & primi Fundator meminit, non secundi: Igitur non videtur ab eo petita fuisse applicatio, sed intenta solum commoditas populi, ut consulatur communitat, in qua cum omnes solenni Officio interesse non possint, alias plurimos Sacrificii fructu oportet carere. 6. Si daretur vi dictorum verborum obligatio applicandi Sacra in Fundatione prescripta pro Fundatore, eam agnovisset Celsissimus Ordinarius, & in Literis, in quibus confirmat factam Fundationem, declarasset, sicut alia declaravit circa modum, quo se Primitarius circa Parochum loci gerere, eundemque juvare debet; est enim res maximus momenti, & ut vidimus, vi verborum Fundationis saltem dubia: atqui in Confirmatione sua Celsissimus nihil de applicatione Sacrorum movit, sed precise laudat hoc opus tanquam ad promovendum DEI honorem & animarum salutem valde proficuum: Igitur Signum est, quod obligationem istam non agnoverit, & consequenter, quod ea vi Fundationis non reperiatur.

QUÆRITUR II.

Ad quid teneatur Primitarius vi Decreti ex Officio Vicariatus 1687. dati?

10.

Per hoc Decretum fit reductio obligationis Missæ quotidiana ad Missam præter Festa, & Dominicas ter solum dicendam infra hebdomadam. Duo porro circa Quæstationem hanc Dubia formari possunt. 1. An Primitarius prædictis diebus vi Decreti istius teneatur offerre Missam pro Fundatore, illi applicando fructum speciale? 2. An,

& quomodo iis diebus vi præfati Decreti prohibeantur Missæ votivæ? Supponimus autem hic potestatem, quod Ordinarius, præsertim in partibus ab Urbe remotioribus, posset, ubi necessitas istud exigit, reducere Missarum onera ad legitimum, & redditibus respondentem numerum; hæc enim per Jus commune

C. cùm accessissent. de Constitut. c. nos quidem. de Testam.

Ordinariis aperte conceditur. Et licet protestationem hanc Congregatio Cardinalium Decreto, jussu Urbani VIII. edito, iisdem suffulserit, potest tamen hæc lex, sicut aliae positivæ, præscriptione tolli. Et sic præscriptione sublatam vult

P. Gobat, tr. 3. n. 591.
in Diœcesi Constantiensi: & forte sic factum est etiam alibi; cùm sic videatur habere praxis. Unde Gobat *cit.* monet, non esse movendum à Confessario scrupulum Capellano, qui hac in re stat vel expressa, vel tacita ordinatione sui Superioris. Igitur

DUB. 1. An Primitarius vi Decreti ex Officio Vicariatus, ut supra dictum est, editi, teneatur Missam diebus Dominicis, Festis, & singulis feriis 2. 4. & 6. dicendam offerre pro Fundatore, & applicare quoad fructum illius speciale? Rationem dubitandi faciunt Literæ Illustris cuiusdam Personæ ad R. D. Primitarium datae, in quibus sepius repetitur (quod etiam plures testantur) defunctum Primitarium otetens à Reverendissimo Episcopo obtinuisse hanc gratiam, ut loco trium dierum duobus tantum intra hebdomadam obligaretur ad Sacrum dicendum pro Fundatore. Igitur supposuit Celsissimus, prædicto Decreto impositam obligationem fuisse Sacra prescripta applicandi pro Fundatore. Sed hoc non obstante Respondendum negative. 1. Quia Decretum hoc, ut ex tenore illius colligitur, est favorable, & gratiosum. Igitur non potest credi, quod onus voluerit impicare, quod prius vi Fundationis Primitario non incumbebat. Ostendimus autem, ex Literis Fundationis non posse colligi hanc obligationem applicandi fructum Missarum istarum Fundatori, ut ex Num. 9. patet. Ergo non est presumendum, Officium Vicariatus voluisse hanc obligationem imponere. Conf. Non est Decretum favorable, sed onerosum, quod onus minus mutat in maius. Tale esset Decretum istud, si prescripisset, ut loco quotidiana Missæ applicanda ad libitum à Primitario, cui voluerit, Missæ quidem ter solum intra hebdomadam dicenda essent, sed omnes applicanda pro Fundatore; nam libertatem eas applicandi tolleret, quam Literæ Fundationis permittunt. 2:

Si esset aliqua ratio, qua probaret, Primitarium illis diebus, qui supra memorati sunt, teneri ad applicationem fructus ex Decreto Officii Vicariatus, esset ista, quia illo Decreto prohibitus

II.

Dubium.

prohibetur Primissario, ne Missas votivas acceptet: atqui, ut infra videbimus *Num. 12.* Decreto hoc Missæ votiva simpliciter non prohibentur; & etiæ prohiberentur, Applicatione tamen fructus posset adhuc esse libera; nam obligatio applicandi fructum, & obligatio non accipiendi Missas votivas sunt diversæ; & à se invicem separabiles: ergo. Neque dicas, sic Decretum fore frustraneum, & nihil decernere; nam adhuc utile est: credibile enim est, nec vana videtur suspicio esse; aliquem ex Prædecessoribus Primissariis ob Reditus, per bellum Sueicum valde immutatos, hanc gratiam petuisse, ut onus Missæ quotidianæ etiam ad liberam applicationem legendæ immunitetur, & sic occasio foret per Missas votivas alibi, & in viciniis locis forte legendas, & acceptum inde Stipendium, refaciendi defectum redditum per injurias belli Suecici sic immunitorum: in cujus proin petiti, utpote valde justi, gratiam statutum videtur, ut Primissarius loco Sacri quotidiani præter Dominicas, & Festa solum ter in Ecclesia Parochiali teneretur dicere, reliquis diebus libertatem haberet Sacrificandi, ubique vellet. 3. In sapè dicto Decreto solum fit mentio de dicenda statis diebus Missa in Ecclesia Parochiali, nihil autem dicitur de ea applicanda ad certam intentionem, cuius rei, utpote maximi momenti utique meminisset in hoc suo Decreto Officium Vicariatus; cum viderit, Sacrificare statis diebus, & Sacrificare ad intentionem esse duo valde diversa, & quæ separabilia sint, aë sapè etiam separantur. Igitur cum nihil de Applicatione dicat, non agnovit obligationem illius faciendæ. Conf. Cum obtinetur finis Decretri, dicendum est, satisfieri Decreto: sed finis sapientius dicti Decretri est, ut prædictis diebus in Parochia Primissaria certò habeatur Missa manè legenda à Primissario, natiū idcirco determinavit Ordinarius prædictos dies: & hic finis obtinetur totus, etiæ Missa illa pro Fundatore non applicentur: ergo &c. Neque obstat ratio dubitandi allata in contrarium; facile enim contingere potuit, ut testes illæ, (solæ enim allegantur fœmina) verba Dom. Primissarii p.m. non satis percepérint, & obligationem ad solum locum male confuderint cum obligatione dicendi Sacra pro Fundatore. Deinde in contrarium pugnare videtur mos observatus à suprà dicto Prædecessore Primissario, qui ut Schedula, in quibus dicta à se Sacra acutissimè annotavit, post mortem ejus relatae testantur, solum die Dominica celebravit pro Fundatore: quod sane, utpote Sacerdos probus, & optimæ conscientiæ non fecisset, sed plura Sacra applicasset, si vi Decretri, sibi probè noti, ad hoc obligatus fuissent. Certe, si quis contenderet, vi hujus Decretri decerni obligationem applicandi Sacra in eo imperata pro Fundatore, contra eum optimè probari posset, illud Decretum sub- & obreptitum esse; cum enim nemo imponere obligatio-

neum Beneficiato possit, quam Fundator non imposuit; Fundator autem in instituta à se Primissaria obligationem Sacra applicandi non imposuerit, necessariò sequitur, quod Decretum decernens hanc obligationem ex mala informatione processerit, & errore, quod ipsum sub- & obreptitum facit. Hæc omnia confirmantur ex Literis, quæ reperiuntur ab Officio data, cùm Primissaria Questionis post bellum Sueicum fuit denuo restituta, ubi declaratur, Primissarium deinceps obligari ad quatuor Sacra dicenda qualibet hebdomada: ubi notandum, usurpari terminum dicens, non applicanda, quæ duo, ut diximus, sunt diversissima.

DUBIUM 2. An, & quomodo vi sapientius
memorati Decretri prohibeantur Missæ votivæ? Videntur absolute, & simpliciter prohiberi; nam clara sunt Decretri verba: *Mit hin an solchen Tagen keine andere Votiva Sacra anzunehmen befugt seyn solle.* Nec immerito; nam sicut Sacerdos non potest Missam legere in alio-loco, vel Altari, quam Fundator, vel offerens Stipendium velit, ita nec aliam Missam, quam quæ ab iisdem petitur, ut communis

cum P. Laym. l. 5. tr. 5. c. 1. n. 15. habet. Videntur autem Fundator intendisse, ut diceretur à Primissario Missa diei currentis: quod inde videtur erui; quia Fundator, ut ex Literis Foundationis liquet, hæc sua Foundatione intendit præcipue promovere devotionem; consequenter etiam fructum fidelis populi. Atqui Missa diei currentis, & quæ secundum Ecclesiæ ritum præscribitur, ob speciales Orationes, & Collectas necessitatibus communibus magis adaptatas, & alia, magis prodest ministerialiter, vel specialissime, ut loquuntur, quam Missa votiva, quæ tota necessitatibus particularibus adaptatur. Igitur non hanc, sed illam videtur intendisse Fundator. Bona hæc quidem conjectura est; sed quia versamini in materia odiosa, quæ onus imponit, non convincit intentum. Fructum & suum, & populi intendit Fundator, sed non utique omnem illum, qui simpliciter intendi posset; alias dici deberet, Primissarium vi Foundationis obligari ad applicandum Fundatori, & populo etiam fructum speciale. Igitur videtur solum illum intendisse fructum, quem audientes percipiunt ex quovis Sacro, quique illis ex communi intentione Ecclesiæ alias applicari solet; hunc autem percipiunt ex Missis etiam votivis. Quod additur de Orationibus, & Collectis, quæ in Missis votivis adaptantur magis necessitatibus particularibus, non procedit in omni votiva Missa: nam sapè dicuntur Missæ votiva de Sanctis, ubi tenentur Orationes, & Collectæ, quæ alias in Festis illorum dici solent. Quod autem in ipsis etiam applicatio fructus maximè fiat pro necessitatibus particularibus, suppositis hactenus dictis nihil impedit; nam fructus universalis manet omnibus, specialis vero solum applicatur personis particularibus,

quod etiam fit in Missis non votivis. Videlur igitur nec Fundator voluisse, ut quotidianie diceretur Missa diei currentis: nec Officium Vicariatus, cum merito presumatur non voluisse imponere novum onus, quod per Fundatorem impositum non est, sed potius diminuere, simpliciter intendisse, ne Primissarius fusciperet prescriptis diebus ulla Missas votivas: sed Decretum hoc merito colligitur, eatenus has prohibere, quatenus obessent fini Primissariæ sic institutæ. Hujus autem finis, ut sèpè diximus, est, ut Parochiani in loco Primissariæ tum Dominicis & Festis, tum aliis etiam diebus infra hebdomadam haberent occasionem in sua Parochia audiendi Sacrum: cui fini solum obesset, si Primissarius iis diebus, quibus in Parochia eum Sacrificare oporteret, ad Sacra votiva dicenda excurreret alio. Igitur Decreto sèpè memorato Missæ votivæ non simpliciter prohibentur, sed cum addito, ne dictis diebus fusciantur dicendæ alibi. Et hoc videntur significare verba Decretri *Keine andere Votiva*,

QUÆRITUR III.

Quomodo intelligendum sit Rescriptum, quod ad Quæstum Primissarii super dubio de Applicatione Missarum

22. Decemb. 1704. ex Officio Vicariatus emanavit?

13.

Rationem dubitandi faciunt verba *ad intentionem Fundatoris*. Unde inferri videtur, Sacra illa, quæ ex obligatione à Primissario dicenda sunt, applicanda pro Fundatore, & iis, quibus Fundator ea applicari voluit. Et ita quidem verba illa interpretari oporteret, si in sensu obvio, & vulgari accipienda essent. Sed merito presumitur Reverendissimus D. Vicarius Generalis sensum istum non intendisse; siquidem, cum ostenderimus, nec vi Foundationis, nec aliunde Primissarium obligari ad Missas præ-

scriptas applicandas pro Fundatore, Rescriptum hoc sic niteretur errore, & persuasione falsa imposita à Fundatore obligationis, quæ non est imposta, & sic ob- & subreptum censeri meritò deberet. Cum igitur istud prudenter præsumi nequeat, recurredum est ad interpretationem latiorem, quam verba illa patiuntur, & dicendum, verba illa *ad intentionem Fundatoris* aliud nihil sonare, quam juxta mentem Fundatoris in Literis Foundationis expressam. Neque frustra hoc dicitur; nam Rescriptum hoc se refert ad Decretum ex eodem Officio Vicariatus 1687. datum. Igitur solum declarat obligationem eo Decreto impositam: Decreti autem illius, cum, ut diximus, favorable, & gratiosum sit, mens non fuit novum onus imponere, quam quod impositum per Fundatorem est. Nusquam autem ex Literis Foundationis patet, quod Fundator aliam obligationem imposuerit Primissario, quam ut diebus à se prescriptis, in Ecclesia Primissaria, & in Altari S. Georgii, adeò tempestivè Missam diceret, ut Parochiani illi interesse possint, nec tamen à laboribus suis impiderentur. Igitur si hoc præstet Primissarius, & Fundatori, & Decreto, & Rescripto Officii Vicariatus plenissimè satisfaciet. Missam autem, quam prescriptis ab Ordinario diebus legerit, applicare quoad fructum speciale poterit, cuicunque libuerit. Aliquoties tamen per annum, ut suprà monimus, decebit, imò juxta communem Theologorum tenebitur Missam (ubi ubi voluerit) quoad fructum speciale offere pro Fundatore; nam hoc commune est omnibus Beneficiis, & gratitudinis ratio expedit: & similis obligatio juxta pariter communem etiam est in Parochis, ut aliquoties per annum offerant pro suis ovibus.

Hæc nostra super Casum propositum Sententia fuit, quæ salvam omnino voluntus opinionem sentientium meliora.



CON-